



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt III. Quantam fenestram patefaciat ad licentiam peccandi, hæc à
Caluino constituta Christianæ libertatis ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

Hic ille est in abscondito Iudaus, non carne, sed corde per Spiritum Dei circumcissus. quem Paulus ait Legem consummantem & implentem, iudicaturum esse illum fiducia Legis inflatum, qui per literam & carnis circumcisionem præuicator est Legis. Hic ille est, qui spiritu ambulat, carnisque desideria etiam sentit, non ea perficit tamen, nec sibi iniquitatem dominari patitur. Qua in re vera Legis impletio, veraque sita iustitia est.

CAPVT IIIII.

*Quantam fenestram patefaciat ad licentiam peccandi,
hac à Caluino constituta Christiana
libertatis ratio.*

VT CUNQUE autem Caluinus suę huius libertatis vim ostendat positam esse in formidolosis conscientijs coram Deo pacificandis, siue de remissione peccatorum inquietæ sint ac sollicitæ, siue anxie teneantur, vtrum opera imperfecta, & carnis nostræ vitijs (quemadmodum scribit) inquinata, Deo placeant: reuera tamen resoluit eas mollitię quadam noxię securitatis, & ad perniciosissimã vitæ licentiam portas aperit; proque libertate Christiana, veram seruitutem introducit. Primùm, quia cum audierint homines, simularque in Christum crediderint, diuinæ Legis sese vinculis & obligatione debitoque exsolutos; quid ab ijs tum aliud expectes, prout se communis captus & infirmitas habet, proniorque semper in deteriora cogitatio, quàm vt tanquam laxatis habenis in nequiora proruant, latamque ingrediantur viam, quæ ducit ad mortem? Quis enim magis classicum canat ad omnem licentiã, quàm qui prædicet, sublata Legis mentione, & omni operum cogitatione seposita, vnã Dei misericordiam amplecti conuenire? Deinde, nihil magis

afferre queat languorem studio virtutis apud homines etiam bene viuendi studiosos, quibusque sit cordi alacriter percurrere diuinorum mandatorum vias, quam si dicatur eis, quidquid tentent aut meditentur operis, id omne maledictum esse. facile quippe negligitur, quod nullius habeatur pretij: nec animari ad opus vllum potest, qui sciat, quidquid fecerit, mancum ac vitiosum esse futurum. Scribit Augustinus, Iouinianum quosdam sanctimoniales à proposito virginittatis abduxisse; non quòd eas ipse sollicitauerit, aut vxores habere voluerit; sed propterea quòd merita minuent sanctæ virginittatis, ea coniugio fidelium coæquarit. Quid ergo eiusdem Augustini iudicio fecisset Iouinianus, quantamq. morù pernitiè inuexisset, si nò modò virginittatis, verum etiam virtutù cæterarù studia, pioſque conatus, maledicta esse docuisset? Nec vllus esse profectò potest ad proficiendum stimulus, cum cogites quantumcumque nitaris ac satages, non posse te emergere è vitiorum sordibus, nec supra lutum peccati caput attollere, nec quidquam afferre dignum Deo. Itaque huic sanè doctrinæ, morumque vulneri, quodcunque emplastrum adhibeât, nolle se dicentes à bonis virtutum officijs abducere, sed ad ea potiùs incitare; fluere tamen inde hanc corruptelæ saniem necesse est, per quam licentiùs securiùsque peccetur.

CAPVT V.

Quid sit, in quò tertiam Christiana libertatis partem Calvinus posuerit.

SED iam audiamus, quamnam idem Calvinus tertiam fecerit Christiana libertatis partem. [Tertiam, inquit, pars est, vt nulla rerum externarum, quæ per se sunt adiophoræ, religione coram Deo teneamur, quia eas nunc vsurpare, nunc omittere indifferenter liceat. Atque